Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1145
Quelle:
Copyright:

fratri ſuo *Girardo*, ut T. IIII. *col.* 1353. Adjectum eſt in Codice etiam ſequentis *Sermonis* XXVII. initium ad verba: *ſed indiſcuſſum remanſit.*

XXIX. *fol.* 169. operoſus Codex exit in *Enchiridion ſancti auguſtini Laurentio cuius eruditione delectatur cupiens illum eſſe ſapientem ſcriptum totum diuinum.* Praeit Locus *Retract.* L. II. c. 63. Init: *Dici non poteſt dilectiſſime fili* &c. ut Edit. *Maur.* T. VI. *col.* 195. et a nobis ſaepius indicatum eſt.

CCCCLXII.

U. 524 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 92. 4. min. perquam nitide exaratus, rubricis diſtinctus, et olim, ut praenotatur, *Joh. Fabri* eruditi Praeſulis noſtri litera quadra miniata inſcribitur: *Incipiunt Sententię Divinitatis.* Doctrinae Theologicae Corporibus Sec. primum XI. *Sententiarum* nomen eſſe coepit, praeludentibus *Anſelmo Cantuar.* et *Hildeberto Cenoman.* Hinc nominati *Anſelmus Laudun. Guilelmus de Campellis, Hugo S. Victoris, Robertus Pullus* Card. *Petrus Pictav. Petrus Abailardus* problematicae methodi autor, et qui ceteris palmam eripuit *Petr. Lombardus* ἀντονομαστικως *Magiſter Sententiarum* dictus. Atque hos omnes, quatenus typis ad nos pervenerunt, contuli, ut *Sententiis* noſtris autorem reperirem, verum irrito conatu. Primum igitur adſcribam *Capita*, quibus illae continentur. *De Deo. De Qualitate creationis angelorum. De dignitate creationis diaboli. De hominis creatione. De voluntate dei. De peccato. De originali peccato. De actualibus peccatis. De prouidentia. De incarnatione domini. De fide ſpe et caritate. De caritate. De circumciſione*, quod ultimum inſcriptione caret. Jam *Caput* I. ita incipit: *Prima origo rerum et cauſa omnium deus ante omnia eternaliter exiſtens in omnibus inuariabiliter poſt omnia interminabiliter creauit mundum id eſt omnem creaturam. non ſecundum exemplar ſed de materia ſibi coeterna ſicut arbitrantur philoſophi dicentes nichil fieri de nichilo. Nam plato tria principia omnium aſſeruit deum uidelicet et exemplar quod uocauit ideam. tercium materiam quod uocauit ilen* (ὕλην). *Ariſtoteles duo principia poſuit. materiam et ſpeciem. et tercium cum his quod operatorium dixit. Hos errores moyſes in exordio ſui ſermonis deſtruxit dicens In principio creauit deus cęlum et terram* &c. Vides Autori nota eſſe veteris Philoſophiae placita, quod ſi addas methodum, qua frequenter varias aliorum ad Objecta reſponſiones adferre contentus nihil ipſe ſtatuit, aut decidit, *Abailardi* tibi in mentem venire poſſit, haberique in hoc Codice Opus illius ab *Introductione ad Theologiam*, et *Theologia Chriſtiana*, quae jam typis extant, diverſum. Extrema ſunt: *Anima pro diuerſis actionibus diuerſa nomina ſortitur. dum uiuificat corpus anima uocatur. dum vult animus eſt. dum ſcit*

mens